

et Monsieur Solomon Ketner, nommé de l'auteur

8

FRAGMENTUM

PAPYRI MAGICI

MUSEI VATICANI

EDIDIT

HORATIUS MARUCCHI

BIBLIOTHECAE VATICANAE SCRIPTOR

(Ex Catalogo Papyrorum Bibliothecae et Musei Vaticani)

ROMAE

TYPIS VINC. SALVIUCCI LYNCAEORUM TYPOGRAPHO

MDCCXCI.

FRAGMENTUM
PAPYRI MAGICI
MUSEI VATICANI

EDIDIT

HORATIUS MARUCCHI

BIBLIOTHECAE VATICANAE SCRIPTOR

(Ex Catalogo Papyrorum Bibliothecae et Musei Vaticani)

R O M A E

TYPIS VINC. SALVIUCCI LYNCAEORUM TYPOGRAPHO

—
MDCCCXCI.

FRAGMENTUM PAPYRI MAGICI

MUSEI VATICANI (1).

Papyrus hoc, quod in tabulis huic commentario adjectis phototypice repraesentatur, quatuor columnis constat scripturae quae dicitur hieratica et picturis omnino caret. In catalogo Champollionii perperam descriptum est tanquam continens titulos et elogias alicuius Pharaonis hisce verbis, juxta editionem quam dedit Angelus Maius: « *Contiene gli encomi ed il panegirico di un re con le lodi ed i vari titoli di un gran numero di Dei protettori* (2) ». Nec mirum: quum eo tempore scripturae hieraticae recta interpretatio nondum ab aegyptologis inventa esset, sed tantum signa eius quaedam explicabatur.

Papyrus nihil prorsus hujus generis exhibet, sed continet textum magicum, scilicet formulas et deprecationes quasdam adversus divinitates maleficas, serpentes et caetera animalia nociva. Compositiones sacrae huius generis haud frequentes sunt in aegyptiaca literatura et in collectione nostra vaticana papyrus hoc unicum est eius argumenti. Propterea huius fragmenti descriptionem dedi in coetu ad studia rerum orientalium provehenda habito Stockolmae mense septembri 1889. Ibi editionem eius quamprimum me daturum pollicitus sum: quod nunc, dum de aliis papyris plenam publice rationem reddo, libentissime facio.

Exemplar maximi momenti huiusce generis textus est papyrus cui nomen Harris, nunc in museo londinensi, editum a Francisco Chabas (3): documentum simile in eodem museo est papyrus quod dicitur Salt (4). Alia eiusdem generis extant in museo Parisiensi et in Taurinensi (5). Haec papyra sunt omnia ex ipso argumento valde obscura et nondum plene ab aegyptologis explicata.

Papyrus nostrum ex indiciis paleographicis iudicari potest aetatis quae intercedit inter dynastias XIX^{am} et XXII^{am}, scilicet inter saeculum decimumtertium et decimum ante Christum. Mihi videtur potius dynastiae XIX^{ae} quam aevi recentioris.

(1) In Catalogo papyrorum Bibliothecae et Musei. Pap. XXXVI. n. 83, pag. 91 seqq.

(2) Catal. Champoll. (a. 1823), pag. 26, lett. D. In museo tab. 20.

(3) *Le papyrus magique Harris* (Chalons sur Saone 1860).

(4) Cf. Birch in ephemeride *Revue Archeologique* 1863, pag. 119; ibidem pag. 427.


(5) Cf. Déveria *Catalogue des manuscrits égyptiens qui sont conservés au musée égyptien du Louvre* (a. 1881) pag. 171-78. — Pleyte et Rossi, *Papyrus de Turin*.

In textu quaedam rubricae repetitae extant, quae initium exorcismi indicant adversus elementa malefica ne homini noceant. Formula hujus rubricae est ut sequitur:



ne u hā t ne stes (contra etc.)

Haec formula notari debet utpote alicujus momenti, nam differt ab aliis quae in papyris leguntur magicarum incantationum. Et revera in papyro Harris legitur:



hā en k māḳu
Vade retro māḳu (2)

In papyris autem musei taurinensis:




ā u ā sēnā metu
Repello ego venenum (3).

In papyro nostro vaticano formulam jam descriptam sequitur nomen cuiusdam partis humani corporis a qua Aegyptii invocatione illa maleficos influxus repellere putabant. Nomen defuncti vel viventis pro quo textus conscriptus fuerat desideratur, ut in plurimis ejusdem generis. Formulae deprecativae, rubro colore in primis signis depictae, sunt contra divinitatem maleficam muliebrem, nam determinativum post verba est foemininum : et ideoque huic signo litteram *t*, foeminiini generis propriam, subscripsi. Cum textus obscurus et mutilus sit, plenam illius interpretationem tentare non audeo et rubricas tantum incantationum explicabo a columna I^a dextrorsum respicientis ad laevam progrediendo, ut mos est in scriptura hieratica. Notandum post singulas formulas signum interpunctionis rubro colore depictum, quod signum adparet identidem in reliquo quoque textu.

Columna I.

Linea III.



ne u hā t em sepet f
Ne stes contra labrum ejus.

(1) Signum quod legitur hā significat *surgere, stare*. De formula vide quod scripsit v. cl. A. Erman in ephemeride: *Zeitschrift für die ägyptische Sprache*, 1889, fasc. I.

(2) Māḳu est unum ex nominibus crocodili. Cf. translationem quam huius papyri dedit idem Chabas in *Mélanges égyptologiques*, vol. I, pag. 248. In papyro Salt formula contra deos maleficos est: *facies vestras avertite* (cf. Birch, l. c.).

(3) Cf. Pleyte et Rossi op. cit. tabul. CXXXI-CXXXVIII.

Línea IV.

nen hā t em tes tu f
ne stes contra dentem ejus

Línea VI.

nen hā t [em] nesit f
ne stes adversus linguam ejus

Línea X.

nen hā t em kāhit-tu-f
ne stes adversus humerum ejus.

Columna II.

Línea I.

nen hā t em xopeś-f
Ne stes contra coxendicem ejus

Línea II.

nen hā t em tebufi (1)
ne stes contra digitos ejus

Línea IV.

neu hā t em ro-n hat-f
ne stes contra os cordis ejus

Línea V.

nen hā t em hati-f
ne stes contra cor ejus

Línea VII.

neu hā t em na tesitu eu ati-f
ne stes contra vertebrae humeri ejus

(1) Forma pronominis possessivi affixi (11) pro (1) non infrequens est.

Linea IX.

nen hā t em nehebt f

ne stes contra collum ejus.

Textus fortasse erat satis prolixus, nam principio et fine caret et columnae ipsae quae supersunt lacunis abundant. Nomina divinitatum et geniorum subinde notantur: et pars columnae III (lin. 2-5) respondet textui inscriptionis a Golenischeff editae in libro cui titulus « *Metternich Stele* » (Leipzig, 1877, pag. 3).

In linea 1^a columnae II^{ae} post exorcismum ad malum arcendum a xopesch seu a *coxendice*, legitur nomen dei Set hisce verbis:

pa amu en Hor pa sembi en Set

dextera dei Hor sinistra dei Set

Nomen Set vel fortasse etiam Sutech pertinet ad vetustissimam religionem Syriae et Aegypti, et ipse tanquam deus beneficis solaris colebatur praesertim in Aegypto inferiore. In superiore Aegypto autem, seu in schola sacerdotum Abydi, deus Set pro malefica divinitate habebatur ut inimicus dei Hori. Processu vero temporis systemata haec contraria ad concordiam venerunt, et deus Set ubique adoratus est cura, ut videtur, sacerdotum Hermopolis ubi dei Thot praesertim cultus florebat. Inde factum est ut hoc religiosum foedus symbolice expressum sit per mythum dei Thot qui duos adversarios, Horum nempe et Set, dividit et amicos reddit (1).

In papyro nostro formula haec protectionem indicat dei Hori et dei Set, quae hominem a malefico influxu tuebatur. Et sic in papyro magico Harris, de quo supra jam diximus, devotus personam ipsam dei Set gerit et ad arcendos maleficos genios hac formula inter alias utitur ânuk Sutech, « *Ego sum Sutech* ». (Pap. Harris VIII. 8).

Simili modo in reliquo textu papyri nostri aliae divinitates invocantur, ut genios maleficos arceant ne homini noceant et homo ipse eorum nominibus se tegit atque defendit. Quae quidem invocationes aliquam similitudinem habent cum formulis quae quandoque in amuletis varii generis inveniuntur et praesertim in illis ubi Horus aspicitur dum crocodila pedibus conterit (2).

(1) De hac re consulendus Schiaparelli, *Il libro dei funerali*. Parte II, pag. 225. Deus Thot in hoc mytho nomen habebat ap rehui seu *ille qui dividit duos adversarios* cf. O. Marucchi, *I leoni del re Nektanebo* (Buletino archeol. comunale. Novembre 1890, pag. 317-20).

(2) Cf. *Zeitschrift für die ägyptische Sprache* 1868, p. 98, 135.

Notandum denique est notiones mysticae artis magicae apud veteres Aegyptios utillimas esse illustrandae Scripturae sacrae: nam ubi miracula Moysis ante conspectum Pharaonis enarrantur, de incantationibus serpentum agitur quae fortasse magicis hisce formulis fiebant. — Sic enim legimus in Exodo VII. 11: « *Vocavit autem Pharao sapientes et maleficos et fecerunt etiam ipsi per incantationes aegyptiacas et arcana quaedam similiter.* Incantatores Aegypti vocantur in textu

hebraico **הַרְטָמִי מִצְרַיִם**; et haec vox **הַרְטָמִים** legitur etiam in Exodo IX. 11

ubi dicitur incantatores Aegypti stare nequisse ante conspectum Moysis. Quae vox

hebraici textus originem ducit ab aegyptiis  *χ*er loqui et 

tum *abscondita*: quare reddi potest: « *ii qui secreta loquuntur seu qui incantationes magicas proferunt* ⁽¹⁾. Hoc igitur est unum ex verbis illis Pentateuchi, quae ab aegyptiaca fonte manant et magis magisque authenticam sacri textus monstrant et Moysem, eruditum in *omni scientia Aegyptiorum*, ejus auctorem fuisse confirmant.

Tandem observare etiam juvat superstitiones istas ab Aegyptiis ad Graecos, a Graecis ad Romanos transiisse, qui magicas formulas etiam contra viventes vel mortuos adhibebant et *defixiones* vocabant: quin imo Christiani ipsi formulis deprecatoriis ejusdem generis, et fortasse ex illis depromptis, spiritus immundos repellere consueverunt ⁽²⁾. Sed mens Christianorum ab ethnicis superstitionibus omnino abhorrebat; ii nempe genios maleficos, seu daemones, in nomine Dei unius et veri fugabant. ut pie nunc etiam sacris exorcismis utitur Ecclesia ⁽³⁾.

Ex dictis patet papyrum hoc alicujus momenti esse et dignum ut ejusdem plena editio fiat. Cum vero hujus mutili et obscuri textus plena declaratio non inveniatur in hac brevi recensione locum et longum studium requirat, tabulas phototypicas papyri prout extat edendas censui, ut si quis aggredi velit textum hunc magicum vaticanum restituere et interpretari, nihil ei desit ad propositum perficiendum.

(1) Cf. Harkavy, « *Les mots égyptiens de la Bible* » in ephemeride « *Journal Asiatique* » 1870 p. 169.

(2) De hac re consuli possunt, praeter alios: C. Stornajolo, *Piombo magico descritto* « *Bull. dell'Istituto archeol.* » 1880. — L. Bruzza, *Tessera esorcistica* « *Bull. archeol. comun.* » 1881 p. 163 segg. — O. Marucchi, *Di una rarissima statua della dea Epona* « *Annali dell'Istituto* » 1881. — G. Cozza-Luzi, *Di un antico flutterio cristiano*, 1887. — E. Le Blant, *Les premiers chrétiens et le démon* « *Atti della R. Accademia dei Lincei* » 1888 vol. III, parte I.

(3) De phylacteriis quibus etiam veteres Christiani utebantur ad daemones fugandos docte disseruit v. c. J. B. de Rossi in « *Bullettino di archeologia cristiana* » 1869, pag. 59.

[The image shows a fragment of an ancient papyrus scroll with three columns of handwritten text in a cursive script. The text is dark and somewhat faded, with some ink bleed-through from the reverse side. The columns are separated by vertical folds or binding lines. The script appears to be a form of Greek or Latin cursive, possibly from a medieval manuscript. The fragment is irregularly shaped, with some missing parts at the edges.]

